

cusque sententia, inquam, fixa et irrevocabilis in æternum. Quam sapit qui hoc iudicium æternum et annos æternos semper in mente habet!

3. ET HOC FACIENTIS, SI QUIDEM PERMISERIT DEUS. «Hoc,» scilicet ut, omissis fidei rudimentis et fundamentis, «ad perfectiora,» id est perfecta christianismi dogmata, «feramur,» inquit Theophylactus, «ansemus et alii. Aliter alii, sic enim explicat, q. d. Paulus: De rudimentis fidei iam dictis, que jam transibo, postea rursus agam Deo dante, cum opportuno erit; nam de baptismo et penitentia agit inferius cap. x, de fide esp. xi, de iudicio cap. x et xii, de resurrectione mortuorum cap. xi et xii.

Sed si hoc Apostolus voluisset, dixisset potius per exceptivam particulam sic: «Quamquam hoc quoque faciemus.» Itaque prior expositio planior est, magisque coherens præcedentibus. Tamen hoc respicit *intermittentes, et non rursus facientes.*

4-6. IMPOSSIBILE EST ENIM EOS, QUI SEMEL SUNT ILLUMINATI, GUSTAVERUNT ETIAM DONUM COELESTE, ET, RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM. — Vox enim dat causam cur dixerit vers. 1, non esse rursus faciendum fundamentum penitentie, quia scilicet hæc impossibilis est illi, qui «illuminati,» id est baptizati sunt, ut vertit Syrus. Nota: S. Dionysius cap. iii *Eccles. Hierarch.*, p. 4, alique Patres, baptismum vocant *ἑκκαὶστής*, id est illuminationem, quia in baptismo homo fide Christi illustratur, «accipitque primi et increati luminis consortium, omniumque divinarum illustrationum principium,» ait S. Dionysius, cuius rei symbolum in baptismo faces accendi solent (1).

Bayle illu- minatur.

4. GUSTAVERUNT ETIAM DONUM COELESTE. — Græce ἐπορωξίζω, quod verti potest, *supercæleste donum*, hoc est remissio peccatorum, inquit Chrysostomus, gratia, virtutes et charismata Spiritus Sancti, ac præsertim lætitia, pax et serenitas puræ et sancte conscientie, atque dulcedo et suavitatis vite novæ et Christianæ, quam experitur tam recens baptizati, quam qui seriam peccatorum confessionem fecerunt, vitæque in melius commutarunt. Hunc enim dulcem saporē significat verbum *gustaverunt.*

(1) Commata 4-6 inter se connexa sunt, et bene coherunt cum præcedentibus. Dicit nempe Apostolus, rem sibi non esse cum Apostatis, quales tum essent apud Hebræos, nec se istorum in gratiam prima elementa religionis repetere velle. Frustraneum hoc arbitratur: si quidem fieri non posse ut eiusmodi homines corrigantur; similes enim eos esse terre improbe, in quam, quod semen conieceris, periret omne. Hic locus maxima in causa fuit, ut iam animadvertimus in *argumento* hujus Epistolæ, cur diu Romana Ecclesia cunctata sit hunc librum in canone recipere, ut liquet ex Tertulliano *De Pudicitia*. Nam in illa controversia an lapsi in persecutionibus in gremio Ecclesiæ recipi possent, illi qui severiores erant in lapsos, Novatiani scilicet, hunc locum urgebant. Quia autem Romana Ecclesia in disciplina erga lapsos mitior erat, hanc epistolam Paulinam esse vix admittit. Sed *ἀδύνατον, impossibile*, h. l. non est metaphysice impossibile, sed potius res admodum difficilis.

5. GUSTAVERUNT NIHILOMINUS BONUM DEI VERBUM. —

Id est, gustarunt quam suavis et consolatoria sit doctrina Evangelica, quæ tanta lætate jucunda bona promittit nobis, tam hic, quam in celo capependa. Nota: «Bonum» Hebræis sæpe idem est, quod lætum, jucundum, felix, delectabile. Inde «verbum bonum» vocat promissionem Dei Judæis jucundissimam, de liberatione a captivitate Babylonica. Sic *Psalms* xlv: «Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum,» id est, epithalamium jucundissimum de nuptiis Christi et Ecclesiæ. Sic et Poeta canit:

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

VIRTUTESQUE SÆCULI VENTURI. — «Virtutes» hic non opponitur vitiiis: græce enim est *δυναμεις*, et syriace *כחות* *chaita*, id est robur, potentiam, energiam, q. d. Qui gustarunt per fidei cognitionem, amorem, spem, gaudium et desiderium, «virtutes,» id est potentias sæculi futuri, quid scilicet possit et valeat futurum sæculum, quam potens in eo futura sit redemptio et liberatio ab omni malo et miseria, quanta felicitas et beatitudo, quam tantum Deus ostendit in Beatis, scilicet in tam mira et augusta illorum gloria, immortalitate, vita æterna, visione et fruitione Dei, omniumque gaudiorum et honorum, tam corporis quam animi copia et affluentia. Illum præstatum futuræ vite habebat S. Augustinus ejusque mater S. Monica, ut ipse affectuose narrat lib. IX *Confess.*, cap. x. Sanctus enim Franciscus cum dicit: «Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me poena delectet.»

Latus accipit hæc «virtutes,» sive potentias, *œcumenius*, scilicet ut tam potentes damnatorum penas et tormenta in inferno, quam potentia, augusta et divina præmia Beatorum in celo complectantur.

6. ET PROLAPSI SUNT. — Post tanta dona, lumina, suavitates et dulcedines, in apostasiam, alia peccata prolapsi sunt.

RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM. — Græce ἀνακαθίστασθαι, id est renovare, ut scilicet sacerdotem per sacramentum penitentie Prolapsos renovent. Sed corrigendus est textus Græcus modernus ex Chrysostomo, *œcumenio*, Theophylacto, qui legunt ἀνακαθίστασθαι, id est renovari, ut vertit Noster.

Nota, «ad poenitentiam,» id est, per poenitentiam. Ita Chrysostomus, Theophylactus, *œcumenius*. Græcum enim *εἰς*, vel *εἰς* respondet Hebræo *עַד*, quod significat, in, ad, per, propter: si vulgo dicimus, ad primum (id est per primum) delictum occubuit Petrus: ad contactum (id est, per contactum) Christi sanata est hæmorrhøisa: ad (id est, per) ignis presentiam inflammatur stupra.

Quæres, quis hujus loci sit sensus, et quomodo sit impossibilis lapsos renovari ad poenitentiam? Ex hoc loco male intellecto orta est hæresis Novati et Novatianorum tempore S. Cypriani, qui

docebant lapsos non esse dandam poenitentiam, nec veniam: indeque Catharos, id est puros et mundos, se nuncuparunt.

Hinc quoque deliravit Tertullianus, cum lib. I *De Pudicitia* docuit, lapsos semel tantum ad poenitentiam esse recipiendos. Sed hæc hæresis jam pridem explosa et damnata est, et manifeste repugnat ipsi S. Paulo, qui I *Cor.* v, et II *Cor.* vii, et alibi multis suadet tam fornicario illi Corinthio, quam aliis quibusvis lapsis poenitentiam.

Rursus Petrus Lombardus et Hugo Victor, *Quest.* LXI in epistolam hanc, putant Apostolum loqui de poenitentia peragenda post hanc vitam: hæc enim est impossibilis. Sed nihil tale suggerit vel innuit hic Apostolus.

Dico ergo, due sunt maxime probabiles hujus loci expositiones. Prior est omnium pene veterum, Chrysostomi, Theodreti, Theophylacti, *œcumenii*, Haymonis, Sedulii, Primasii, Ambrosii, lib. II *De Penit.* cap. ii; Hieronymi, lib. II *Contra Jovin.*; Augustini, in inchoatione epist. ad *Rom.*, et aliorum: hi censent Apostolum loqui de poenitentia baptismi, seu que præit baptismum, tantumque dampnare hoc loco iterationem baptismi: unde veteres passim ex hoc loco docuit et probant Baptismum æque ac Confirmationem non posse iterari. Hebræi enim in judaismo sæpe se baptizabant, indeque facti Christiani putabant pari modo se posse iterari, tertio et quarto baptizari, et baptismum iterato identidem peccata, in que sæpius incidabant, expiare. Probatur hæc explicatio primo, quia Apostolus hic respicit ad poenitentiam, de qua egit vers. 4; ibi autem poenitentiam jungit baptismum, eamque intelligit que præit baptismum.

Secundo, id indicat vox «renovari,» quæ fere baptismum datur: unde Apostolus, *Tit.* iii, 3, baptismum vocat «lavaçrum regenerationis et renovationis.»

Tertio, id ipsum innuit vox «impossibile:» proprie enim sola baptismi, non autem poenitentie, iteratio est simpliciter impossibilis.

Quarto, quia subdit Apostolus, «rursus erucificentis sibi metaphisam Filium Dei,» q. d. Baptismus est figura et representatio crucis; et qui baptizatur, symbolice cum Christo crucifigitur, ut dicit *Rom.* vi, 3. Unde sicut Christus secundo crucifigi non potest, sic nec baptismus repeti; et qui secundo baptizatur, hi Christum in seipsis iterum symbolice crucifigit: hoc enim ipso significant et protestantur crucem a Christo semel susceptam, et priore unicoque baptismum a se suscepto adumbratam, non sufficere; sed opus esse ut iterum Christus crucifigatur, itaque secundum baptismum ad eluenda peccata insitit. Ita Chrysostomus et *basæscenus*, lib. IV *De Fide*, cap. x.

Secunda magis plana ac genuina hujus loci explicatio est Anselmi, Lyræ, Hugonis, Dionysii, *Richmanni*, Vasquezii, Ribera et aliorum recentiorum: hi censent Apostolum proprie loqui de

poenitentia, eamque dicere impossibilem, id est valde difficilem, esse peccatoribus, non quibusvis, sed gravissimis et ingratisissimis, puta apostatis, qui post tot insignia luminis et dona coelestia a Deo accepta, post tot gratias et consolaciones Spiritus Sancti, postquam gustarunt delicias Dei et futura vite, a Deo, a fide et agnita veritate, atque a Christo ad judaismum et infidelitatem desiscent, uti aliqui Hebræi faciebant.

Probatur hæc expositio primo, quia vers. sequenti vocat terram maledictam, quæ rone coelestis gratie et fidei recepto, profert tamen spinas apostasie, ideoque reproba est et igni comburenda: apostate enim fere omnes poenitentiam expiari non possunt, sed obdurati et reprobi sunt, ideoque in gehennam relegantur; ubi clare vides non baptismi, sed poenitentie vim et fructum esse adimi.

Secundo, quia verba ipsa plane id significant: poenitentia enim non baptismum, sed poenitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt, post illuminationem, id est, post baptismum.

Tertio, quia cap. x, vers. 26, omnino similiter de his apostatis ait: «Voluntarie peccantibus jam non relinquuntur pro peccato hostia,» q. d. Eorum qui voluntarie peccant et a Christo desiscent, peccatum et apostasia nullo, non dico baptismum, sed sacrificio pro peccato, nulla poenitentia expiari potest, id est, diffidillime et vix expiari potest: quia tales vix unquam serio poenitent, ut videmus nostros apostatas sacerdotes et monachos, cum a religione nostra et ab Ordine suo ad hæreticos transfugiant, diffidillime et rarissimè converti et poenitere. Sic *Matth.* cap. xii, vers. 32, dicit Christus, quod blasphemia in Spiritum Sanctum non (id est *agere, vix*) remittitur in hoc sæculo, nec in futuro. Sic I *Johan.* v, 16, dicitur: «Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis,» q. d. Si quis peccet, dummodo non peccet peccatum ad mortem, orat quis pro peccato, et certo speret se exaudiendum, et veniam ei impetraturum: sin autem quis peccet peccatum ad mortem, non ausim spondere, nec certo sperare, quod oras pro eo veniam ei impetrabit, non tamen omnino orationem pro eo fieri vult. Ubi peccatum ad mortem idem fere videtur esse cum eo, de quo hic agit Apostolus cum ait: «Impossibile est eos, qui semel illuminati et prolapsi sunt, renovari ad poenitentiam.»

Peccatum enim ad mortem, ut docet S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.*, est quodvis gravissimum peccatum, maxime quod ex malitia et obfirmato animo fit, v. g. cum quis fidem agnam ex malitia improbat, deserit, et tanquam dæmoniacam calumniam, quod peccatum ordinari vix remittitur, estque tale ac tantum, ut ex eo ad vitam spiritualem gratie vix ullus resurgat; sed in eo, ac consequenter in morte animæ maneat is qui peccat, ac proinde puniendus sit morte æterna.

Petrus, Hieronymus, Victorius, explicatio. Prior explicatio hujus loci, loquitur de poenitentia lapsi, qui iterari non possunt.

Petrus dicitur non.

Vox h.

Apostata non, sacerdoti, obdurati, peccata in Spiritum Sanctum, peccatum ad mortem vix remittuntur.

Ad primum argumentum pro priori expositione de baptismo allatum respondeo, Apostolum vers. 4, penitentiam generatim accipere, omnibus nempe intelligere, tamque eam que baptismum antecedit, quam eam que baptismum sequitur: utraque enim rudis et catechumenos docere solet, ut sciant quomodo ad baptismum se preparare, et quomodo post lapsum, si lapsi sint in peccatum, per penitentiam se reparare, et baptismali puritati restituere possint: mox enim a baptismo catechumeni usurpare et frequentare solent penitentiae Sacramentum.

Ad secundum respondeo, vocem *renovari* tam tribui penitentiae, quam baptismi; unde Apostolus tam Ephesios quam Romanos et Colossenses jam pridem baptizatos hortatur dicens: «Renovamini spiritu mentis vestrae,» *Ephes. iv, 23.* Sic Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. II, docet per penitentiae Sacramentum nos renovari, et ad novitatem baptismi acceptam reparari.

Ad tertium respondeo, *impossibile* hic, non physice, sed moraliter accipi; significareque id, quod communiter et ordinarie non fit, et secundum consuetudinem et legem ordinariam fieri non potest. Sic enim jurisperiti vocant impossibile, id quod valde est difficile, et raro aut nunquam fit. Sic Christus, *Matth. XIX, 26*, dicit impossibile esse divitem salvari: quod mox explicat dicens, id apud homines esse impossibile, apud Deum autem omnia esse possibilia. Eodem modo impossibile est peccantes hoc peccato apostasie renovari ad penitentiam, si spectes communem cursum, tum naturae, tum gratiae, quam Deus ordinarie dat, juxta quem videmus tales rarissime et vix unquam converti; ut moraliter et vulgariter loquendo dicamus impossibile esse tales converti. Sic ex heresiarchis, qui principes sunt apostatarum a Christo, huicque neminem vidimus qui resipuerit, excepto uno Berengario. Apud Deum autem possibile est eos converti, si videlicet quis valde sanctus vir Deum exoret, aut si Deus sponte sua raram quandam et extraordinariam gratiam eis largiatur, qua cor eorum durum flectat et emolliat ad veram et seriam penitentiam, uti subinde fieri videmus.

Ad quartum. Ad quartum respondeo paragrapho proximo. **REBUS CRUCIFIGENTIS SIMILITUDINE FILIUM DEI, ET OSTENTU HABENTES.** — Nota haec verba non referri ad *renovari*, q. d. nos in ipsa novatione et iteratione baptismi crucifigere Christum; sed ad *prolapsi*. Patet ex Graeco, in quo pari casu, scilicet accusativo, haec afferuntur, scilicet *ἀποπελάσαντες* et *ἀποπελάσαντες*, q. d. Prolapsi sunt, quia rursus crucifigunt et ostentui habent Christum; ideoque impossibile est eos ad penitentiam renovari: omnis enim qui in pristina peccata, ac praesertim qui i fide in judaismum et haesim aut infidelitatem relabatur, iterum quasi crucifigit Christum, quia novo peccato novam dat causam crucis et mortis Christi: facit enim rursus id

Illiciter hujus loci sensus: *ἀποπελάσαντες* et *ἀποπελάσαντες*, q. d. Prolapsi sunt, quia rursus crucifigunt et ostentui habent Christum; ideoque impossibile est eos ad penitentiam renovari: omnis enim qui in pristina peccata, ac praesertim qui i fide in judaismum et haesim aut infidelitatem relabatur, iterum quasi crucifigit Christum, quia novo peccato novam dat causam crucis et mortis Christi: facit enim rursus id

propter quod Christus crucifixus est; quare nisi Christi mors tam effluxisset, ut ad omnia omnino peccata post quantavis saecula futura et iteranda se extendisset, oporteret Christum toties mori et crucifigi: quoties peccant homines, sicut Aaronica sacrificia et victimae, toties mactari et offerri debebant, quoties peccabant Judaei.

OSTENTU HABENTES. — Graeco *ἀποπελάσαντες*, id est, paradigma, sive exemplum statuentes, quod ab omnibus videatur et rideatur; hoc est, infamantes, irrisione et ludibrio exponentes. Unde Syrus habet *נשארן* *netsarun*, id est contemnunt, despiciunt, contumelia et ignominia afficiunt. Qui enim apostatat et in peccata relabatur, hoc ipso contemnit, vilipendit et ridet Christum, Christusque crucem et redemptionem, atque hoc ipso causa est, ut Christus in exemplum ludibrii Gentilibus omnibusque hominibus proponatur, utque Gentiles diceas et malevoli irrideant Christum, Christusque legem et Ecclesiae, sicut Judaei irriserunt Christum in cruce suspensum: sic Julianus Apostata irrisit, et irridendum proposuit Christum et christianismum.

7. TERRA ENIM SEDE VENIENTEM SUPER SE HABENS IMPREM, ET GENERANS HERBAM OPPORTUNAM COLITUR, ACCIPIT BENEDICTIONEM A DEO. — A benedictionem vocat continuum fertilitatem: dum enim terra labori et agriculturae respondet, generatque herbam, facit Deus ut homines eam diligentius colant, et subinde hordeum, triticum aliasque segetes in ea serant; ipsaque Deus illi novas pluvias, et novas solis caelique influentias immittit: quo fit ut terra illa excolta novae, plures et meliores fructus ferat: quae est terra quasi benedictio et felicitas, sicut matris est multas et pulchras generare proles. Haec terrae similitudine et analogia significat Apostolus, homines, qui imbrem gratiae divinae excipiunt, eique cooperantur, fructus bonorum operum producunt, a Deo benedicti, id est, majori gratiae et consolationis caelestis influxu, virtutum et meritorum copia cumulati.

8. PROFERENS SPINAS AC TRIBULOS, BEPPODA EST, ET MALEDICTIO PROXIMA; CIJUS CONSUMMATIO IN COMBUSTIONEM. — Pro *proferens* graeco est *ἐκφέρει*, id est effert, emittens, ejiciens, quasi praeter naturam, «spinas» tanquam aborsum, eum per se generare debet herbam utilem. Ita Occumenius. *Secundo*, pro *reproba* graeco est *βέροδα*, id est improbanda, deserenda, rejicienda, et inculta relinquenda, ut fiat horridum verpeticum et sententium. Hinc *tertio*, eandem vocat «maledictio proximam», ut, nisi meliora ferat germina, maledictio, id est sterilitati et squalori, perpetuo subiacet. *Quarto*, «consummatio», id est, finis et exitus ejus est, ut sit in «combustionem», ut cum suis spinis ac tribulis comburatur.

Ex parabola terrae frugiferae et sterilis, probat Apostolus id quod dixerat, scilicet peccatum

apostasiam post accepta tanta donata gratiae, quasi pluviae caelestis, commissum, esse gravissimum et quasi irremissibile; eo quod apostata hanc pluviam neglexerit, illique non responderit, sed panserit sterilis bonorum operum, ideoque maledictio sit proximus, ut nisi plane se emendet, a Deo auditurus sit: «Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.»

9. CONFIDIMUS AUTEM DE VOBIS, DILECTISSIMI, MELIORA ET VICINIORA SALUTI, TANETSU ITA LOQUIMUR (1). — Pro *confidimus* graeco est *παρομιμα*, id est persuasi sumus, credimus, persuasimus nobis, vos scilicet non esse instar terre, quae germinat spinas et tribulos, ideoque maledicta est: tamen haec loqui et submonere volumus, quia vidimus quosdam inter vos a primo fervore descivisse et flaccescere indies, qui, si illa pergant, tandem flent terra maledicta, et damnabuntur: hos haec parabola terremus et moeumus, ut resumant primum fervorem, et divinae gratiae respondeant, ferantque fructus virtutum instar terrae fertilis et benedictae. Ita Theophylactus.

10. NON ENIM INJUSTUS EST DEUS, ET OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, ET DILECTIONIS QUAE OSTENDISTIS IN NOMINE IPSIUS. — Propter nonnulli doctores moderni, Apostolum hic loqui Hebraeis lapsis in apostasiam et peccatum mortale, eosque erigere in spem venie, eis proponendo partim suam penitentiam, et penitentiae ac charitatis opera, quibus jam penitentes ministrarunt sanctis; partim dei justitiam, id est, fidelitatem, qui sicut peccatoribus penitentibus veniam promisit, ita eandem re ipsa praestabit, q. d. Estote bono animo, o Hebraei: licet enim lapsi sitis, tamen quia penitit vos, eamque penitentiam testamini, dum tanta charitate ministratis sanctis, certi estote quod Deus in gratiam vos recipiet; non enim injustus est, sed justus et fidelis, ut misericordiam et remissionem peccatorum promissam penitentibus vobis praestet et exhibeat. Si obijcias Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. XVI, dicere, haec verba Apostoli non peccatoribus, sed justificatis esse proponenda, respondent, haec verba justificatis esse proponenda, non quasi per se ad eos pertineant, sed tanquam argumentum a minori, q. d. Si Deus non obliviscitur venie, quam promisit impiis si penitent, multo minus obliviscitur premium, quod iustorum operibus promissum sit. Verum Concilium videtur proponere haec Apostoli verba justificatis, non ut argumentum a minori, sed ut iis ipsis premium operum iustorum explicet et demonstret: nam alioqui, hoc loco omissio, alia clara et expressa Scripturae sanctae testimonio, quae ipsidum disertè significant, protulisset. Adde, quod Apostolus non peccatoribus, sed justificatis loquatur, patere ex ipso Apostolo, ut mox ostendamus.

Secundo, S. Thomas et Franciscus Suarez in

eruditio illo opusculo *De Reditu operum mortificationum*, putant Apostolum loqui Hebraeis tam in gratia stantibus, quam in peccatum jam ante lapsis, sed jam rursus reparatis et justificatis, quibus bona opera ante lapsum facta, jam per penitentiam restituta sint a Deo. Unde ex hoc Apostoli loco probant opera et merita bona per peccatum sequens mortificata, iterum post penitentiam redire et reviviscere, et restitui penitenti. Videtur enim hi Hebraei peccasse, et esse prolapsi, ut innuit Apostolus vers. 6; quare docent iidem haec merita redire et restitui penitenti ex justitia, praesupposita tamen liberali Dei ordinatione et promissione, quia hunc reditum et restitutionem promisit, ideoque dicere Apostolum: «Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.»

Haec sententia in se vera est, non tamen videtur esse plane genuina, et ex mente Apostoli hoc loco. Licet enim subinde innuat aliquos Hebraeos esse prolapsos, et licet aliis nonnullis, utpote segenibus, eundem lapsum timeat, tamen eos, ad quos scribit, quosque hic alloquitur et compellat, necdum esse lapsos satis significat vers. praeced. ubi ait: «Confidimus de vobis meliora et viciniora saluti: tametsi ita loquimur,» et vers. 11 et 12, Itemque x, 34, ubi cum laudans Hebraeos dixisset, eos vincitis esse compassos, et rapinam bonorum aliaque dura cum gaudio suscepisse, subdit: «Nolite itaque amittere confidentiam vestram: patientia enim vobis necessaria est, adhuc enim modicum aliquid, qui venturum est, veniet.» Rursus, cum dixisset hoc loco, non esse injustum Deum, ut obliviscatur eorum operum et dilectionis, subijcit: «Cupimus autem unumquemque vestrum eundem ostentare sollicitudinem, ad explanationem spei, usque in finem.» Quibus verbis aliaque tota epistola sparsis hortatur Hebraeos, non ad resipiscentiam, sed ad constantiam in fide, ne tentationibus et persecutionibus pressi et fatigati, ab ea resiliant et deserant collectionem Christianam.

Secundo, de penitentibus hic non agere, adeoque penitentiam hic non commendare Apostolum, patet ex eo, quod tam hic, quam vers. 6, dicit esse impossibile eos qui prolapsi sunt, renovari ad penitentiam, et eosque non misericordiam, sed terribile tantum dei iudicium manere. Rursus id patet ex eo, quod ait vers. 1: «Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacentes fundamentum penitentiae.»

Tertio, ita videtur exponere Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. XVI, ubi docet justificatis a peccato haec Apostoli verba esse proponenda, ut iis excitentur ad studium bonorum operum ex spe mercedis, quam recipiant a Deo justo iudice.

confido, imo saluti esse proximos, licet vos supra, v, 18, imbecilles et parvos dixerim.

Ex Graeco illo Tridentino ostendit, ut verba haec justificatis conveniunt.

Terra a animo sterilis comparatur.

(1) Vers. 9. Vos autem non esse ex Apostatarum numero

Reditum et reviviscere operum mortificationum probatur ex hoc loco secundum aliquos.

Apostolus non intendit hanc revisionem. Probatur primo.

hec ergo est mens et sententia Apostoli: dixerat paulo ante: « Confidimus de vobis meliora et viciniora salutis, » scilicet quod non sitis similes terræ sterili, reprobe, maledictæ et comburendæ; sed potius, quod sitis terræ fertili et benedictæ similes, quodque rectis itineribus tendatis ad salutem, illique vicini sitis: id probat dicens: « Non enim injustus est Deus, » etc., *q. d.* Deus cum sit justus retributor operum, oblivisci non potest, sed semper est memor vestræ dilectionis et misericordie, ut illam pramiet, dando vobis gratiam et stimulos, quibus facile in hac dilectione æque ac fide, spe, patientia aliisque bonis operibus perseverare et crescere possitis, atque per ea tendere et assequi tandem salutem et coronam gloriæ, quam bonis operibus promisit; si tamen vos ipsi hinc gratiæ cooperari pergatis, sitisque in fide constantes: quod unice cupio, ad idque plane vos exhortor. Unde subdit: « Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem, ad expletionem spei, usque in finem. » Hinc sequitur, bona opera mereri stabilitatem et perseverantiam in fide, gratia et bonis operibus: sicut vice versa mala opera merentur et disponunt ad vagandum per cupiditates et scelera, ac tandem ad vacillandum in fide et ad ipsam fidem perdendam.

Dens et  
justitia  
remun-  
rabit  
opera.

Nota quod dicit: « Non enim injustus est Deus. » Hinc enim verbis significat injustum fore Deum, si mercedem quam bonis operibus promisit negaret et subtraheret, aut si minore mercedem daret, quam opera mereantur. Deus enim ad justam et condignam operum mercedem promissione sua se obstrinxit: hinc quia justissimus est, quod justum est, quodque promisit, justissime prestabit. Vide dicta II *Timoth.* IV, 8.

Et dilectionis. — Ita legendum cum Syro, Chrysostomo, Theophylacto, Occumenio; jam enim nescio a quo, in Græco additum est τὸ ἀγαπᾶν, id est, laboris charitatis, vel dilectionis, id est laboriosæ charitatis, vel laboris ex charitate suscepti.

Quam ostendistis (id est, præstitistis et exhibuistis) in nomine iesus. — id est nomini, vel erga nomen ipsius, scilicet Christi Dei et Domini vestri, ut sit *bet* contactus; vel *ein* nomine, id est, propter nomen ipsius, ut sit *bet* cause, vel preterit, *q. d.* Propter Christum benefecistis Christianis, et magnum laborem subsistis in adjuvandis Christi pauperibus. Rursum, dum hoc fecistis et faciatis, ostendistis quantum amatis Christum Christianique nomen, qui scilicet Christi amore omnibus qui Christi nomine insiguntur, ministratis et succurritis elemosinis vestris.

Nota: *Miserere* significat tam succurrere et elemosinam dare, quam elemosinam ad pauperes et ægros deferre, eisque inservire: quæ plena et perfecta est misericordia et charitas Christianorum.

Moraliter, vide hic Chrysostomum in moralibus

hom. 10 et 11, docentem quam non debeamus curiose scrutari pauperes, an sint boni et sancti, sed simpliciter dare elemosinam in nomine Christi, non tantum christianis, sed et paganus.

11. COPINUS AUTEM UNUMQUEMQUE VESTRUM EANDEM OSTENTARE (ὁμοιωθεῖν, id est ostendere) sollicitudinem, AD EXPLETIONEM SPEI, USQUE IN FINEM. — « Ad expletionem spei, » id est, ut spes vestra plena sit, indesque augeatur et plenior fiat per perseverantiam et studium honorum operum, tandemque re ipsa expleatur, cum spes ipsa vertetur in rem, cumque præmium cælestis quod sperastis et pro quo laborastis, re ipsa consequemini (1).

Ubi nota, spem et fiduciam salutis nasci et corroborari exercitio et studio honorum operum: quare qui gehennam anxie formidat et damnari metuit, exerceat se assidue in bonis operibus, itaque crescat fiducia salutis, quæ omnem hunc metum aut excludit, aut valde imminuit.

Nota: Pro expletionem græce est *πληροποιῶν*, quod Vatablus, Erasmus et alii vertunt, *plena prohibitionem*, persuasionem et certitudinem, ut scilicet spes vestra per bona opera fiat certa, usque in finem certitudinis spei, id est, usquequo plene persuasi sitis, planeque et certo (quantum licet in hac vita) confidatis vos speratam gloriam in oculis adepturos; itaque non timide, scrupulose et anxie, sed libere, lætissime et fidentissime Deo serviat, ut idem sit cum eo quod monet S. Petrus, cum ait *epist.* II, cap. 1, vers. 10: « Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciat. » Ita et Vasquez. *Πληροποιῶν*, ait, est certa et plena fides, sive persuasio, ex qua oritur certa et plena spes: tunc enim plena est spes, cum plena est fides de eo quod speratur. Verum *πληροποιῶν* proprie expletionem significat, sicuti vertit Noster. Uti ostendi *Rom.* XIV, 5.

Nota secundo, *in finem* referendum esse ad « ostentare sollicitudinem, » *q. d.* Cupio ut ostendatis hanc honorum operum sollicitudinem in finem usque vitæ vestræ. Potest tamen referri quoque ad « expletionem spei, » *q. d.* Ut spes vestra expleatur in finem usque, ut scilicet illa indes ita crescat, donec tandem ipsa plene finiat, absolvatur et consumatur: crescente enim sancta vita, crescit et spes, et quantum illa, tantum et hæc perficitur et consummatur.

12. ET NON SEGNES EFFICIAMINI, — in retinendo et prosequendo Evangelio et vita Christiana, in persecutionibus et afflictionibus pro ea sufferendis.

VERUM IMITATORES EORUM, QUI FIDE ET PATIENTIA HEREDITABUNT PROMISSIONES. — « Fide, » scilicet qua credunt, si Deo fideles sint, se ab eo bona æterna accepturos: hæc enim fides est quæ spem excitat et sustentat ad quævis ardua suscipienda et referenda: de qua agit toto cap. XI, ut He-

(1) Sollicitudinem, par scilicet studium in fide retinenda.

bæros ad constantiam in persecutione præstantiam, per hanc fidem animet et corroboret.

Pro patientia græce est *υπακομή*, id est longanimitas, quæ duram in malis, nec his frangitur, etiamsi longo tempore nos premant, sed longanimitè expectamus, ut tandem aliquando his liberemur, et bona promissa ac sperata ceramus et hereditemus in cælis: hæc enim sunt « promissiones » in Scripturis celebres, ideoque Hebræis notæ, quas hic Paulus intelligit, scilicet bona in cælis nobis promissa. Per metonymiam enim *promissio* ponitur pro re promissa. « Patientia » ergo, sive longanimitas, hic idem est quod perseverantia. Simile est vers. 13.

13. ABRAHE NANCQUE PROMITTENS DEUS. — *q. d.* Quod jam dixi: « Imitatores estote eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones, » id ipsum exemplo Abrahæ confirmo, ipsumque Abraham patrem vestrum omniumque credentium et patienter expectantium, vobis imitandum propono; ut, sicut ipse fide et patientia promissionem sibi a Deo factam et juratam tandem consecutus est, ita et vos eandem longa fide, spe et patientia consequamini. Promissio enim Abrahæ facta, vobis quoque, omnibusque fidelibus facta est, ut mox patebit. Simili modo Abraham in exemplum proposuit Apostolus Romanis, cap. IV, 16.

QUONIAM NENIM HABUIT PER QUEM JURARET MAJOREM, JURAVIT PER SEMETIPSUM. — Ostendit promissionem Dei esse certam et firmam, nec quemquam de ea posse dubitare, quia Deus eam juramento confirmavit jurans per semetipsum, cum non haberet majorem se, per quem juraret.

14. DICENS: NISI BENEDICENS BENEDICAM TE, ET MULTIPLICANS MULTIPLICABO TE. — « Nisi » Hebræis nota est juramenti execratorii, in qua est apostolopsis, *q. d.* Nisi te benedicens benedixero, id est, nisi beneficiis meis cumulate tibi benefecero, usque abunde te cumulavero (hoc enim significat illa geminatio, « Benedicens benedicam; » et benedicere Deo, cum sit reale et efficax, idem est quod benefacere), supple et subaudi, « non habere Deum, » verax, fidelis. Jurat enim hic Deus, ut ait Apostolus, per semetipsum, sequæ quasi devotet.

Nota: Pro nisi græce est *ἢ οὐκ*, quod Noster, Vatablus, Erasmus et alii vertunt nisi, ut sit idem quod et *non*; Theophylactus tamen et Occumenius vertunt *vers*, vel *certe*.

Hinc secundo, patet Apostolum hic, uti et alias, non verba Dei et Scripturæ, sed sensum citare, adeoque multa verba Dei paucis complecti. Sic enim dicit Deus, *Gen.* XXII, 16: « Per memetipsum juravi (id est juro), dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, » Non pepercasti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam quæ est in litore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti

voci meæ. » Quæ omnia summatis hæc paucis verbis complexus est Paulus dicens: « Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. »

Hinc tertio, patet hanc benedictionem et promissionem Abrahæ et posteris Abrahæ factam, impletam esse inchoate in Isaac et Judæis ex Isaac prognatis, quando scilicet Deus illos temporalium honorum abundantiam cumulavit: perfecte vero impletam esse in Christo et Christianis, quos Deus spiritualis gratiæ copia omnique benedictione cælesti benedixit: hanc enim spiritualem Christianorum benedictionem, temporalis illa Isaaci et Judæorum, quasi typus et figura adumbravit. Ad Christum enim et Christianos, quasi ad veros et geminos ex mente Dei et Scripture Abrahæ filios, hanc ejus benedictionem vel maxime pertinere, patet ex ipsis verbis quibus ait: « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: » per Isaac enim soli Judæi, per Christum vero omnes gentes benedictæ sunt, ut patet *Galat.* III, 16; unde Apostolus, *Rom.* IX, 6: « Non omnes, inquit, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, assistantur in semine. » *q. d.* Non Judæi qui secundum carnem ex Abraham et Christianos, id est Jacobo, sunt nati, sed fideles et Christiani, qui secundum spiritum ex Abraham et Jacob sunt prognati, quia fidem et spiritum Abrahæ patris quasi genuini filii imberant et imitantur, consentur a Deo esse semen, id est posteri et filii Abrahæ a Deo in filios adoptati; ac consequenter hi soli consentur et sunt Abrahæ, et promissionis ac benedictionis illi factæ hæredes. Ita ex S. Chrysostomo Theophylactus, Anselmus et alii.

15. ET SIC LONGANIMITER FERENS (expectans) ADEPTUS EST REPROMISSIONEM. — In senio enim suo Abraham, et prole et opibus fuit cumulatus *Genes.* XXV, 1 et seq.

Secundo, in posteris suis secundum carnem, post quadringentos annos a promissione sibi facta benedictus est Abraham, quando duse Ioseph Hebræi, posteri Abrahæ, obliuerunt portas inimicorum suorum, id est, terram et urbes Chanaan.

Tertio, spiritualiter et maxime Abraham fuit benedictus, quando post mortem in limbum, et inde tempore Christi in cælum deductus est: similiter in posteris suis secundum spiritum benedictus est, et indes adhuc benedicitur, quando fideles et Sancti in cælum, cuius typus erat Chanaan, ingrediuntur; et de hæc tertia benedictio loquitur Apostolus, cum ait cap. XI, vers. 13, Abraham et patriarchas esse defunctos non acceptis promissionibus, sed eas a longè aspexisse et salutasse.

16. HOMINES ENIM PER MAJOREM SE JURANT. — Docet exemplo hominum, apud quos omnis lex et omne dubium terminatur et firmatur juramento.

mento, Deum suam promissionem voluisse firmare juramento, idque jurando per seipsum, cum non haberet majorem se, per quem juraret.

Nota græcismum, «majorem sui,» id est majorem se.

17. In quo (in qua re, scilicet promissione sua; vel in quo, id est, propter quod; ita Syrus: Hebraicum enim dicit, id est in, sæpe idem est quod propter) VOLENS DEUS OSTENDERE FOLLICITATIONIS HEREDIBUS (filiiis Abrahæ, puta fidelibus) IMMUTABILITATEM (firmitatem et immutabilitatem) CONSILII SUI (re-promissionis suæ), INTERPOSUIT JURAMENTUM: 18. UT PER DUAS RES IMMOBILES (per promissionem et juramentum, inquit Theophylactus et Anselmus, quæ immobiles, id est immutabiles et irrevocabiles sunt, tum apud homines, tum inmaxime apud Deum; unde subdit: quibus IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEUM (id est revocare, retractare id quod hominibus promissit et juravit, itaque homines iudicare et fallere), FORTISSIMUM SOLATIUM HABEAMUS. — Græce ὑπεραν παράδοξον, id est, ut Valabius, validam consolationem; vel, ut Theodoretus et Theophylactus, validam exhortationem habeamus: scilicet, ut respicientes in promissa Dei tanta tamque certa, in persecutionibus et tribulationibus, animo non frangamur, sed tantorum bonorum spe excitati, alacres ad res arduas accedamus, labores quosvis et pericula pro Deo et pietate fortiter subeamus, rapinas, exilia, tormenta morteque ipsam generose sustineamus.

Ita fecit S. Lucius, qui ob Christi fidem damnatus ad mortem, cum ad supplicium duceretur: «Gratias ago, inquit, quod me nequissimis dominis absolutum, ad summum cæli terreque regem remittis.» Testis Eusebius, lib. IV Histor., cap. XVII.

Victor, Proconsul Carthagini, ad arianismum a ministris regis sollicitatus: «Dicite, inquit, regi vestro, ut subjiciat me ignibus, adigat bestias, excruciet omni genere tormentorum: si consentio, frustra sum in Ecclesia baptizatus.» Testis est Victor, lib. III Persecut. Wardal.

Dionysia, ad sanguinem flagellata ab Invenico, dixit: «Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum factis, ipsa est laus mea.» Victor, ibidem.

Elogius dicens sibi prefecto Valentis Imperatoris Ariani: «Communica possidenti regnum;» respondit: «Et mihi regni quoque ac sacerdotii consortium est.» Tripart. histor. lib. VII, cap. XXXIII.

Dionysius, Alexandrinus Episcopus, pressus a persecutoribus: «Quid, ait, insectando laboratis? caput meum, pro quo ita fatigamini, avulsum a cervicibus sumite, et donum magnum ad tyrannum referete.» Eusebius, lib. VI Histor., cap. XXX.

S. Laurentius «satus in craticula ad Decium: «Assatum, inquit, satus est, versa, et manduca.» Idem dixerunt Tatanus, Macedonius et Theodulus martyres.

Persecutionem et laborum condimenta sunt gratiosa Dei.

Exempla spei et fortitudinis.

Mares, Episcopus Chalcedonensis, Juliano Apostatae exprobranti sibi acieitate: «Gratias, inquit, ago Deo, qui mihi oculos ademit, ne te impium et blasphemum viderem.» Sozomenus, lib. VI, cap. v.

S. Polycarpus Herodi Proconulari ignem minitanti, respondit: «Ignem minaris hunc qui ad momentum incenditur, et paulo post extinguitur. Verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas penas præparatus est ignis.» Et respondit: «Octoginta et sex annis servivi Christo, et nihil me læsit unquam: quomodo ei maledicam?» Eusebius, lib. IV, cap. xv.

QUI CONFUGIMUS AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM. — «Confugimus,» est præteritum, non presens. Patet ex Græco ἐκκαταφεύγομεν. Perperam Beza vertit, qui currimus. Plus enim est fugere, quam currere. Nam omnis qui fugit, currit; non contra: est enim fugere, currere, ut a periculo te eripias et ad locum tutum pervenias. Sic hoc loco significat nos fugere a morte, ut ad æternam vitam perveniamus.

Secundo, pro ad tenendam græce καταφεύγομεν, id est ut apprehenderemus ac firmissime amplecteremur, nobisque astringeremus hæc spei anchoram, ne sæculi turbine nos abriperent. Ita ex Theophylacto Ribera.

19. QUAM (spem) SICUT ANCHORAM HABEMUS ANIMÆ TUTAM AC FIRMAM. — Notat Chrysostomus, fidem esse quasi columnam vel fundamentum in terra jactum, quia fides inter omnes res est solidissima, certissima et firmissima; spem vero, quæ fide quidem est incertior, certior est tamen omnibus humanis auxiliis et spebus, esse quasi anchoram non quamvis, sed tutam et firmam, quia sicut firma anchora in mari navim inter fluctus et ventos firmam, illesam et inconcussam retinet et conservat: ita spes inter tentationes omnesque hujus sæculi agitationes, quibus in hæc vita quasi navigantes jactamur, animam firmat et corroborat, ut solida, immobilis, constans in fide studioque virtutis consistat. Unde Syrus vertit, quæ (spes) nobis est velut anchora, quæ retinet animam nostram, ne commoveatur.

Unde Syri et Arabes, spem vocant رجبم vataca, quasi dicant firmitatem, robur, soliditatem: رجبم vataca enim significat vincire, firmare, corroborare, indeque confidere et sperare.

Ubi advertit: Spes est quasi anchora, sed hoc discrimine, quod anchora in profundo jacitur, spes vero in summo, scilicet in celo Deoque ipso deligitur. Hoc est quod subdit Apostolus dicens:

ET INCEDENTEM USQUE AD INTERIORA VELAMINIS. — Nota: Alludit Paulus ad templum Salomonis, cujus extima pars dicebatur Sanctum, intima Sanctum sanctorum, quæ distincta erat a Sancto per velum, sive velamen.

Secundo, Sanctum allegorice significabat Ecclesiam militantem in terris; Sanctum sancto-

Verb. 18. Fides columna, spes anchora.

Spei syriacæ et arabicæ dicitur رجبم.

Typus Ecclesie.

rum significabat Ecclesiam triumphantem in cælis; velamen significabat vel cælum interjectum inter nos et Beatos, ut vult Theophylactus, vel obscuritatem, obvelationem et arcana gaudia in cæli, quæ hic quasi per anigma, et velamen fidei obscure tantum et eminus spectamus. Interiora sunt ipsa Dei visio, omnisque gloria et opes Beatorum, de quibus plura cap. IX. Potuisset clare dicere Apostolus: Spes nostra petrat et pervadit ipsum cælum ipsamque cælestem gloriam; maluit tamen per periphrasin dicere, «usque ad interiora velaminis,» ut suaviter et concinne rediret ad Christum pontificem, a quo digressus erat, ut Hebræos afflictos roboraret et excitaret, qui in hæc interiora, sive in Sancta sanctorum, id est, in cælum ipsum, ingressus est, quasi pontifex secundum ordinem Melchisedech, uti dicere exæperat cap. v, vers. 6 et 10.

20. UBI PRÆCURSOR PRO NOBIS INTROIIT JESUS, SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH PONTIFEX PARTUS IN ÆTERNUM. — Rursum acuit spem, docetque eam esse certam; quia Jesus præcursor noster cælum ipsum, ad quod per spem tendimus, ingressus est, idque non tam pro se et sua gloria, quam pro nobis et nostra gloria: in cælum enim Christus præcurrit, ut nobis eodem viam sterneret et pararet, utque cum præcurrentem brevi subsequeremur et consequeremur: qui enim alteri præcurrit ut portas aperiat, aut apertas servet, parvo intervallo eum qui sequitur præcurrit. Ita Theophylactus. Benigne spem nostram plane confirmat et perficit epithetum pontificis æterni, quod Christo hic addit Apostolus, q. d. Certo; Hebraei, sperate cælum, quia Christus in cælum est ingressus, ut ibi quasi Pontifex æternus Patri assistat, illique suam crucem et mortem representet, offerat, atque fidelibus suis omnem gratiam omniaque media, quibus in cælum contendant, impetret.

Quædam in cælum, et nobis viam et locum parat.

### CAPUT SEPTIMUM.

#### SYNOPSIS CAPITIS.

Es typo Melchisedech septem rationibus docet, Christi sacerdotium Aaronico, quasi præstantius et perfectius, successisse.

Prima est, vers. 4, quia Abraham, qui fuit pater Levi et Aaronis, decimas dedit Melchisedech, quasi suo pontifici et typo Christi.

Secunda, vers. 6, quia Melchisedech benedixit Abrahæ, et consequenter Aaroni.

Tertia, vers. 8, quia Melchisedech sine patre et matre, quasi æternus inducitur, cum Aaronici sint temporanei.

Quarta, vers. 11, quia sacerdotium Christi quasi perfectius successit Aaronico, ut expleret ea quæ illi deerant.

Quinta, vers. 20, non Aaronis, sed Christi sacerdotium promissum est a Deo cum jurejurando, psal. CIX.

Sexta, vers. 23, Christus est immortalis, Aaronici sunt mortales.

Septima, vers. 27, Christus uno sacrificio omnia expiavit peccata, Aaronici multis sacrificiis ne unum quidem peccatum expiant.

Nota: Hæc omnes rationes fundantur in illo versu psal. CIX: Juravit Dominus, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hinc enim versum hic urget et perurget Apostolus.

1. Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei: 2. cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiæ, deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, 3. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. 4. Intermitti autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipiis Abraham patriarchæ. 5. Et quidem de filii Levi sacerdotium accipientes, mandatam habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. 6. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas cumspit ab Abraham, et hunc, qui habebat re-promissiones, benedixit. 7. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. 8. Et hic quidem decimas morientes nomnes accipiunt: ibi autem

Ob septem rationes successit Aaronico, et typo Christi.

contestatur, quia vivit. 9. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: 10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. 11. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech aliam surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? 12. Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. 14. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moses locutus est. 15. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, 16. qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vite insolubilis. 17. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem: 19. nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotibus facti sunt; 21. hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, et non penitebit enim: Tu es sacerdos in æternum), 22. in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. 23. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, ideoque quod morte prohiberentur permanere: 24. hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 25. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus: 27. qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

1. HIC ENIM MELCHISEDECH. — Commode in fine præced. cap. Apostolus iniecit mentionem Melchisedech, ut ad illum transiret et ejus sacerdotium Christi antitypum explicaret: de illo enim dixerat cap. v, 11: «De quo nobis grandis est sermo.» Illum ergo grandem, subilem et allegoricum de Melchisedech sermonem hic proponere et enucleare aggreditur, ut ostendat, quibus in rebus Melchisedech gesserit typum Christi, indeque Christi et sacerdotii Christi dignitatem et præcellentiam præ sacerdotio legali et Aaronico demonstrat (1).

REX SALEM. — «Salem,» inquit S. Hieronymus, epist. 126 ad Evagrium, non est Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim (quod alio nomine dicitur Sichem, vel Sichima, ubi Jacob pavit greges, et Dina rapta ac vitulata est, ut idem Hieronymus ait in *Lectis Hebræicis*), in quo ostenditur palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Juxta hæc Salem capivavit quoque S. Joannes Baptistam in *Ennon*, Joan. cap. iii, 23. Verum Hieronymus, Hippolytus, Eusebius, Apollinaris, Eustathius, quos ibidem citat S. Hieronymus, Josephus quo-

(1) Hic Melchisedech refertur ad phrasim vers. 8 ultimam, manet sacerdos, etc.

que, lib. VII *Belli*, cap. XVIII, et passim Hebræi, ac veteres Patres recentiores etiam permulti, ut Abulensis, Pererius, Ribera, ac in primis Andreas Masius exactus urbium et terræ sanctæ persecutor, in cap. x *Josue*, docent Salem hæc esse Jerusalem. Unde et Chaldaei *Gen.* cap. xiv, vers. 18, verit, et *Melchisedech, rex Jerusalem*. Immo Jerusalem conditam esse a Melchisedech tradit Josephus loco citato, a quo vocata est *Salem* (2), deinde ab alio Jebus, ac denique ex *Ἰερὺς Salem* et *ירושלם* *iere*, dicta est *Jerusalem*, ut dixi *Galat.* iv, 26. Quare palatium illud Melchisedech, quod in Sichem ostendi ait Hieronymus, non a Melchisedech conditum, sed ejus nomine insignitum esse, vel a Ieroboam, vel ab aliquo alio posterorum regum, verisimile est. Idque, ut videtur, hæc de causa, ut scilicet sibi vindicarent Melchisedech, quasi ipse non fuisset in Salem, sed in Sichem, ubi ipsi regnabant. Sic enim de Homeri patria

(2) «Salem videtur fuisse tota regio a Jebusis, Chittæorum affinitibus, occupata, vel etiam hujus regionis sedes regia, hanc præcui a plantitie, quæ antea Sidoniorum vallibus, deinde mare Salsum dicebatur, ubi Sodoma ac Gomorrhæ, Adamoet Sebim erant sitæ; quæ urbes sequenti forte tempore deleta desit esse, aut aliud adeptæ est nomen. Nisi plane Salenorum terra, a Saolo asiaticam quærentem peragrata, I *Sammel*, ix, 4, et a Græcis dicta *Σαλαμίς*, intelligatur.» Hæc Resenmillerus ad h. h.

certant septem Græciæ urbes, et quæque eum sibi vindicat, summeque civem esse contendit.

Hæc secunda sententia magis respondet allegorie Christi. Congruè enim in Jerusalem rex et sacerdos fuit Melchisedech, ut admiraretur Christum in eadem urbe regnaturum a ligno, et sacrificaturum seipsum in ara crucis pro redemptione totius mundi.

Dices: Abraham suos hostes persecutus est usque Dan, que postea dicta est Casarea: hæc autem vicina est Sichimis, non autem Hierosolymæ.

Respondeo: Abraham revertens a cæde regum redibat ad convallem Mambre, ubi habitabat; inde autem non longe aberat a Jerusalem, ad quam, licet paulo remotiorem, ire voluit, tum ut gratias Deo ageret pro victoria adepta, idque Hierosolymæ, ubi colebatur verus Deus, cum in reliqua Chanaan colerentur idola; tum excitus fama Melchisedech, qui erat rex et sacerdos Dei altissimi, illo tempore celeberrimus. Melchisedech autem audiens adventare Abraham, ei benevolentie et honoris causa occurrit. Rursus in Salem, puta in Jerusalem, regnavit Salomon, qui fuit typus Christi, et a Salem vel Salom, id est fuit typus Christi, et a Salem vel Salom, id est pax, dictus est Salomon, id est pacificus. Unde et Arabes ac Turcæ suos Imperatores a Salomone vocant *Solymanos* vel *Selymos*, atque a Salem vel Salom ipsos Turcæ vocant *Musulman*, quasi dicant, salvati, quibus est pax et salus. Cum enim Mahomet suum dogma propagaret, gladio jussit occidi omnes nolentes amplecti hoc ejus symbolum: *Alla illa Alla, Mohammed rassul Alla*, (quod etiamnum Mahometani magnis vocibus inclamant), id est, *Non est Deus nisi Deus, et Mahomet Apostolus ejus*. Quicumque ergo id amplectebatur, dicebatur *musulman*, id est, liberatus a gladio et periculo mortis, quam reluctantibus intendebat Mahomet.

SACERDOS DEI SUMMI. — *ἱερέα*, id est, altissimi. Citat verba *Genes.* xiv, vers. 18, ubi licet Calvinus et Novantes Hebræum *כהן* *cohen* vertant, *princeps*, q. d. Erat Melchisedech princeps Dei altissimi; tamen vertendum esse, «sacerdos,» non princeps, patet ex Paulo hic, et est *ἱερέα Dei altissimi*, id est, Deo dicatus et consecratus, quod sacerdoti non principi convenit. Rursus, ex eo quod obtulit panem et vinum in sacrificium, in quo typus fuit Christi. Inde enim *Psal.* cix, dicit Pater ad Christum: «Tu es (non princeps, sed) sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.»

2. CUI ET DECIMAS OMNIUM (spoliorum, quæ casis quinque regibus ceperat) DIVISIT ABRAHAM. — Abraham, licet esset sacerdos, et sæpe sacrificasset, agnovit tamen Melchisedech esse sacerdotem et pontificem eum, unde illi tanquam se superiori et pontifici decimas dedit.

QUI INTERPRETATUR REX JUSTITIE. — Melchisedech enim hebraice componitur ex *מלך melch*, id est rex: unde addito *sed* non affixo, sed paragogico,

fit *melch*, ut concinnior fiat compositio, et *רַיִס sedec*, id est, justitie, q. d. Rex justus vel justissimus. Unde de eo sic scribit Josephus: «Primus Hierosolymæ conditor fuit Charaneorum dynastia, qui patria lingua Justus appellatus est, erat quippe talis.» Unde patet Melchisedech proprium fuisse illi regi nomen, non autem commune regum illius urbis: quomodo commune regum Palestine tempore Abraham nomen erat Abimelech, regum Egypti Pharaeo, et postea Ptolomæus.

3. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA. — Ex eo quod Melchisedech hic dicitur *ἀπόρων καὶ ἀγέροντων*, id est, sine patre et sine matre, nonnulli putarunt Melchisedech esse Spiritum Sanctum: hic enim productus est non per generationem, sed per spirationem, ideoque non est filius habens patrem, sed est Spiritus Sanctus procedens a Patre et Filio. Ita sensit Auctor *Questionum novi et veteris Testamenti*, Quest. CIX, qui extat tom. IV operum S. Augustini. Verum ex hoc dogmate et aliis similibus patet hunc librum non esse S. Augustini, sed auctoris suspecti de hæresi. Idem fere senserunt Melchisedechiani, qui docuerunt Melchisedech esse virtutem quamdam Dei, Christo majorem, ex eo quod Christus dicitur «sacerdos secundum ordinem Melchisedech,» quasi Christus hominum, Melchisedech vero angelorum sit advocatus apud Patrem. Ita refert Epiphanius, lib. II, hæres. 53.

Secundo, Origenes et Didymus, teste S. Hieronymo, citata epist. ad Evagrium, putarunt Melchisedech esse angelum. Sed utraque hæc sententia erronea est. Nam ex iis quæ hic, et *Gen.* xiv, narrantur de Melchisedech, clarum est eum fuisse verum hominem.

Tertio, Samarita, teste Epiphanio, et quidam Hebræi, teste S. Hieronymo supra, quos sequitur Lyranus, Abulensis et alii, opinati sunt Melchisedech esse Sem, filium Noe: Sem enim, imo et ipsum Noe, vixisse et perfigisse usque ad tempora Abrahami certum est: Abraham enim natus est anno post diluivium 292, Noe autem 330 annis post diluivium vixit; nam sexcentesimo Noe anno factum est diluivium: Noe autem vixit 950 annos, ergo diluivio supervixit 330 annos, ac consequenter 38 vixit cum Abrahamo. Similiter Sem post diluivium vixit 302 annis; nam tempore diluivii erit pene 100 annorum; vixit autem universim 600 annos, ergo 35 annis supervixit Abrahamo. Mortuus est enim Abraham ætatis annum 175, post diluivium anno 467. Si dicas, falso de Sem dici, quod sit sine patre et matre; patrem enim habuit Noe, eumque expressum in Scripturis: respondent: Sem sub nomine Sem dici in Scriptura habere patrem, scilicet Noe, non autem sub nomine Melchisedech: quia in Genesi, ubi ejus genealogia textitur, non Melchisedech vocatur, sed Sem. Sed hoc nimis exile, subtile et frigidum est: nec enim nomen, sed hominem et personam intelligit et curat S. Scriptura. Adde, non Sem,

Error Melchisedechianorum et Auctoris questionum novi et veteris Testamenti, Melchisedech esse Spiritum Sanctum.